

I. N. 7.
SPECIMEN ACADEMICUM
DE

PECCATO PHILOSOPHICO,

QVOD,

*Consensu Ampliff. Collegii Philos. in Regia
ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

UIRO Maxime Rev. atque Celeberrimo,

DN. CAROLO MESTERTON,

S. Theologiæ Doctore nec non Log. & Metaph.
PROFESSORE Reg. & Ord.

publico examini modeste deferre constituit,

ALUMNUS REGIUS

HENRICUS LINDSTEEN,

ABOA-FENNO,

Ad diem VI. Octobr. Anni MDCCLIII.

L. H. Q. S.

ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg. Magn. Duc,
Finland. JACOB MERCKELL,

VIRO Amplissimo atque Celeberrimo,
**DN. ALGOTHO A.
SCARIN,**

Histor. & Philos. Civilis PROFESSORI Reg. & Ord.
Bibliothecæ Acad. PRÆFECTO adcuratissimo,
ac Facult. Philos. h. r. Decano
MAXIME SPECTABILI.

VIRO Admodum Reverendo atque Praclarissimo,
**DN. MARTINO
CERENIO,**

RECTORI Scholæ Cath. Aboënsis dignissimo, nec non
ad Academiam hanc Theol. Adjuncto meritissimo.

VIRO Praclarissimo,
**DN. HERMANNO
ROSS,**

LECTORI Scholæ, quæ Aboæ floret, maxime inclyto,
MÆCENATI & FAUTORIBUS OPTIMIS.

*IN signum venerabundæ mentis & piæ præstitorum be-
neficiorum memoriam VOBIS, pagellas has, cum peren-
nis felicitatis voto, dat, dicat, dedicat*

Celeb. & Praclariss. NOMINUM VESTRORUM
cultor humillimus
HENRICUS LINDSTEEN.

CAMMARERAREN Wid Kongl. Academien
i ÅBO,

Ädle och Högackade HERREN,

**HERR THOMAS
BIÖRCKBOHM,**

LANDT-RÄNTEMESTAREN i ÅBO och Biörne-
borgs Län med Åland,

Ädle och Högackade HERREN,

**HERR JACOB
WESSMÄN,**

Mine Högtärade VÄLGYNNARE.

*E*der ynnest, Mine HERRAR, har gjort, at jag för-
drifvat mig med Edra Värda Namn pryda thet-
ta ringa Snille prof. Tiltäder förthenskul gunsti-
gast, at thet äfven kunde ansees for et prof at min
vördnads fulla tacksamhet för the i flere år åtnjutne
välgjerningar. Den Högste låte Eder lefnad blifva
säll och långvarig i tiden, och hugne Eder ändteli-
gen med the utvaldas sällhet i evigheten! Uti hvil-
ken trognaste önskan jag med vördnad framhärda.

Mine Högtärade VÄLGYNNARERS

ödmjukaste tienare
HENRIC LINDSTEEN.

tum a se mali fieri non existiment, quantum re vera fit. Sed hoc de homine luce divina destituto non adeo est mirandum. Verum multo magis, quod etiam intra ecclesiam tam turpiter errent & a veritate clarissima recedant; quum tamen per gratiam divinam, mediante verbo, mentes eorum ab hujus modi erroribus liberari atque illi ipsi sic in luce ejus rectiora videre ac discere possint. Sacrae enim literae plenissime demonstrant, quid sit DEUS, quomodo colendus & qua ratione honestati studendum. Quamvis inquam verbum adeo sit clarum, ut plene homines informare queat de credendis & agendis; nihilo tamen minus plurimi, nescio an ignorantes magis quam volentes in errores detestandos prolapsi sunt; quod historiae tam sacrae, quam profanae satis superque testantur. Praeter multos alios a recto abierunt tramite Lojolitae, qui semet ipsos Jesuitas adpellarunt, plurimis in rebus. Nos hac occasione mittimus alia omnia, & breviter tantum tangere constituimus doctrinam eorum de *Peccato Philosophico*. Quod ut in gloriam Divini Nominis vergat, & ex sententia succedat: ex animo vovemus. Te, L. B. de cetero etiam atque etiam rogamus, velis innoxia haec conamina, pro solita tua modestia, mitiori subicere censurae.

§. II.

UT vero ratio doctrinae de peccato philosophico clarius constet: praemitemus breviter ejus historiam. Jesuitae primi, ut jam in antecedentibus innui-

innuimus; seculo septimo decimo post natum Christum, eam finxerunt & publice proposuerunt. Et quamvis anno 1686 demum controversia de ea sit solenniter agitata a Stephano Bugoto, Jesuitarum Divionensium facile principe: refert tamen Celeb. Walchius, quod jam anno 1641 non modo sit proposita, verum etiam a Collegio Theologico Parisiensi, Sorbonne adpellato, damnata, & eodem modo anno 1658 ab ipsa ecclesia ibidem rejecta. Nihilo tamen minus ab aliis iterum fuit proposita e. g. ab Estrixio 1668, ab Antonio Burgundo 1670, Ulrico Jonsono & reliquis. Sed quemadmodum Thesis haec a multis fuit defensa: ita non erant pauciores, qui ei se objecerunt. In primis Antonius Arnaldus in Theologia sua morali quinque denunciationibus novam hanc haeresin, prout ipse eam dicere solebat, refutavit; occasionem nactus ab oppositis sibi Jesuitarum scriptis. Hunc deinde sequuti sunt plurimi alii. Immo Papa Alexander VIII, eam ut periculosam ipse anno 1690 die 24 Augusti damnavit. Haec pro instituto, qua historica sufficient. Plenior hujus controversiae historiam dabunt Joh. Olearius in disp. anno 1690 habita, & Buddeus in historia Juris Naturae. Rem ipsam in Collegio Jesuitarum anno 1686, ita proposuit Stephanus Bugotus: *Peccatum philosophicum, sive morale, est actus humanus disconveniens naturae rationali & rectae rationi. Theologicum vero & mortale est transgressio liberae legis divinae. Philosophicum in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non offen-*

sa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, nec aeterna poena dignum. Eandem fere fovērunt sententiam Brunus & Reuxius. Nam existentia, inquirunt, Dei ignorari potest invincibiliter & inculpate, & hac ignorantia ad minimum formaliter Deum non offendi, h. e. Deum non offendi ut Deum & tanquam bonum infinitum ita cognitum.

Vid. Grapii Theol. Rec. Contrav. pag. m. 23. & 24. Walchii einkleitung in Religions Streitigkeiten p. m. 1077, 1023. & Mastricht in Theol. Theor. p. m. 367. 368.

§. III.

HÆc est egregia Scilicet eorum doctrina, quam quilibet sine multa ratiocinatione periculofam & multorum errorum matrem esse deprehendit. Nos, ceu promisimus, sententiam nostram de ea in sequentibus proferre conabimur. Dicitur peccatum hoc committi ab ignorante Deum, & consequenter eiusmodi ignorantem sive Atheum carere peccato Theologico sensu accepto. Sed lis est adhuc sub iudice, num re vera dentur Athei in toto hoc universo? Dividi solent in Theoreticos & Practicos. Illi sunt, qui docent aut credunt Deum non existere. Hi vero ita vivunt, ut nullum credere Deum videantur. Hujusmodi homines quod sint quam plurimi, experientia dubitare neminem sinit. Athei theoretici iterum sunt vel directi, qui totidem verbis negant Deum dari, sive immediate existentiam Ejus negant. Vel indirecti, qui tale
quid

quid statuunt, ex quo intelligitur eos credere nullum esse Deum. Athei iterum directi vel per ignorantiam invincibilem vel vincibilem tales sunt. Illi Deum non norunt, nec qua tales noscere possunt. Hi quamvis nesciant eum dari: scire tamen possint, si modo velint. Distinctionibus his jam præmissis: facilius erit determinatu, utrum dentur Athei, nec ne. Quod inveniantur Athei theoretici indirecti, negare, pro dolor! non possumus. Sæpissime enim contigit, teste experientia, ut homines hoc vel illud Dei attributum negarent: e. g. omniscientiam, providentiam &c. quibus sublatis, tollitur, ob simplicitatem Essentiæ Divinæ, Ejus existentia. Directos, h. e. qui verbis Deum dari negarent, vel hodiernum negent, pari ratione existere & olim existisse omnino confitendum est. Quod vero tales sint per ignorantiam invincibilem, negamus & pernegamus. Quando namque homo intuetur totum hoc universum: perspicit illud non esse ens per se, vel absolute necessarium, nec in se rationem suæ existentia continere; sed eam inveniri in ente alio a se diverso & absolute necessario, quod Deum vocamus. Unde patet, quod sit Deus. Hoc inquam, omnibus ope rationis constat. Ne quid dicam, quod per testificationem aliorum ad cognitionem Dei etiam pervenire poterint homines. Quod si autem ratione sua, testimonioque aliorum non recte utantur, sibi ipsis tribuant ignorantiam suam. Ulterius ab interno conscientia testimonio, per naturam omnibus indito, idem probari potest.
Lata.

Lætatur enim conscientia, quando benefacimus; quando vero male tristatur & metuit, etiam ubi nullum superiorem adgnoscat metuendum. Hæc ut omnibus inest, ita eos quoque, qui existentiam Numinis negare audent, falsitatis convincit. Quamvis haud pauci per diurnam ac pravam consuetudinem & præsertim a Deo ex justo iudicio deserti conscientia stimulos ad aliquod tempus supprimant. Hic facile adjungi possent exempla nonnulla, quod Athei conscientia terrores passim & in primis in agone perleserint: nisi proposita brevitatis id nobis interdiceret. Sed quum atheorum ignorantia, prout ostendimus in se sit vincibilis, atque eam ob causam illis merito imputetur: sua culpa gravissimum committunt peccatum, Deumque offendunt eo ipso, quod Eum ignorent. Si enim Athei quales non peccarent: aut omnes homines non essent obligati ad cognoscendum Deum; aut quosdam esse, qui iis non sint ingenii dotibus præditi, ut possint, adhibita licet omni cura, acquirere sibi Dei cognitionem. Sed utrumque est fallum: ergo omnis Atheus graviter peccat.

§. IV.

Peccatum contra rectam rationem, est etiam peccatum contra Deum. Vel clarius, quod committitur contra rationis dictamen, id offendit Deum. Jesuitæ sollicitè distinguunt inter peccata contra rectam rationem & Deum, quo mollius & suæ & aliorum conscientia pulvinar subjiciant. Concedunt
grave

grave esse peccatum: sed non adversus Deum. Unde vero gravitas illa oriatur, non dicunt, nec dicere possunt, nisi idea Dei in memoriam revocetur. Præditi sumus a Deo T. O. M. ratione recta, ut ejus ductum sequamur; alioquin frustra esset data. Si autem a nobis id non fiat: præterquam quod nobismet ipsis nocemus, contra voluntatem etiam divinam agimus; quod non potest non ipsum offendere. Ratio est principium legis naturæ, quæ ex rerum natura, auctore, fine & perpetua harmonia ope rationis cognoscitur. Qui itaque impingit in illam: etiam hanc violat. Legis vero naturæ ut & rationis auctor est Summum Numen, quia aliquid intendisse videtur, quum eam condidit. Si intendit quid: voluntati Ejus est consentanea, & ideo divina dici meretur. Præterea, sapientissimus nihil facit frustra: atque Deus condidit res omnes cum sua natura, fine & harmonia, unde voluntatem Ejus cognoscimus. Idcirco quum peccamus contra rationem & legem naturæ: etiam in Deum peccamus, eumque graviter offendimus. Ulterius lex naturæ eadem est cum divina revelata, quum eadem in se contineat præcepta, quæ divina nobis subministrat. Id tantum discriminis intercedit, ut revelata lex distinctius ea proponat, quæ ratio, quatenus est corrupta, confuse magis manifestat. Nulla idcirco ratione ira & poena Dei evitari potest, quando quid contra legem naturæ, quæ dictamen est rectæ rationis, committitur. Ut sicco transeamus pede, quod homines, si in concreata integritate manserent,

sent, secundum naturæ legem vitam duxissent, & quam primum ab ea discessissent, culpam & peccatum in se contraxissent.

§. V.

Quid absurdius iterum est, quam quum statuitur a Jesuitis, Deum non offendi, si modo peccans, sub ipso actu peccandi, nullam habeat de Deo cogitationem. Deus, ceu ens summe perfectum, omnes habet perfectiones, summo in gradu. Inter eas referimus omniscientiam, qua non tantum ea, quæ, quamvis minima & in cordis intimis recessibus abscondita, sint, videt: sed & possibilia omnia distinctissime sibi repræsentat. Quod quum ita sit: repræsentat quoque sibi hominis actiones omnes & bonas & malas; licet homo ipse eas sibi vivide ob oculos non ponat, nec de Deo cogitet. Et quum simul sit in illo summa sanctitas & justitia: non potest non voluptate affici, perspectis bonis actionibus, & contra vehementer irasci, quum iusta sua negligi videt. Non itaque est, cur iram Ejus nos evitare posse imaginemur, quum ipse omnia videat, etsi nos de iis non cogitemus. Diximus modo Deum omnes habere perfectiones, quarum in numerum omnipræsentia Ejus etiam est referenda. Si est prærens omnibus & nullo loco exclusus: adest omnibus hominibus, etiam iis, qui ipso actu peccant. Ubi vero adest, ibi omni divino honore est afficiendus & nunquam non de illo est cogitandum. Nisi id fiat: graviter offenditur.

Et

Et eo magis, si præter ea agamus, quod Ei parum est gratum. Excipis forte, fieri non posse, ut nullo non tempore Ejus meminerimus. In se quidem non est impossibile. Quod vero a nobis nunc re vera non fiat: culpæ nostræ est tribuendum, & nihilo minus Deum jure id a nobis requirere posse statuendum. Ulterius manifestissimum est juris naturæ præceptum, quod nemo sit lædendus. Quod si est peccatum lædere alios homines: multo magis, si Deum ipsum lædimus. Hoc autem fit, quoties præcepta Ejus transgredimur. Quo magis vero a tali læsione abstinere queamus: officii nostri est, non solum præcepta Ejus, verum etiam illum ipsum semper nobis ob oculos sistere. Quod officium qui negligit, in inimicitiam Ejus incurrit. Sed ponamus Deum non offendi peccatis, quæ committuntur cogitationibus in Eum non defixis: non certe video, quæ illa essent peccata, quibus commoveretur ad iram? Maxima quippe & gravissima plerumque ita committuntur, ut nullæ prorius de Deo cogitationes penes homines tum oriantur. Quid? quod homines rerum mundanarum & voluptatum illecebris capti multos transigere solent dies, sine minima Entis Summi recordatione. Num ideo tum non peccant? utique quam maxime. Hæc enim si valeret ratio: raro peccarent homines, præsertim quando habitum Dei non recordandi crebra exercitatione adquisiverunt. Quid tunc de sacris sentiendum sit

B

oracu-

oraculis, quæ ab homine quam sæpissime Deum offendi docent. Immo, si dicendum quod res est: ita nosmet gerendo gravius quam alioquin committimus peccatum. Primo, male agendo transgredimur præcepta Dei. Deinde in malo immergi ne quidem animadvertimus nos male facere, multo minus ulla malarum actionum tangimur pœnitentia.

§. VI.

Peccant etiam homines graviter in Deum, quamvis legem Ejus ignorent, aut de sensu legis dubitent, aut denique ejus, quum deliquerint, haud recordentur. Quum homo sit obstrictus ad cognoscendum Deum: est etiam obligatus ad cognoscendam Ejus voluntatem. Voluntas vero hæc, quum sit actionum nostrarum norma, vocatur lex: intelligitur itaque eam ignorari non debere. Ignorantia præterea neminem excusat, nisi sit inevitabilis. Legis Divinæ ignorantia evitari & debet & potest: ergo obligat singulos. Quod evitari debet, intelligitur ex natura & indole Legislatoris. Quia enim absolutus est Dominus noster: potuit & voluit nos obligare ad deponendam ignorantiam suæ voluntatis. Etiam nos posse evitare eam, patet: quum lex sit omnibus jam in ipsa creatione indita, deinde solenniter promulgata & hodie quoque occasio ad ejus pleniorum cognitionem perveniendi omnibus

bus relicta. Dubitationem de sensu legis quod concernit: causa ejus invenitur vel in ipsa lege vel in homine dubitante. In lege, cave dicas, esse causam dubitandi de sensu ejus, nam ea est perpicua satis. Et repugnaret sane cum bonitati, tum justitiæ latoris ejusmodi ferre legem, cujus sensus erui nequeat, & nihilo minus postulare, ut ab omnibus intelligatur. Si autem qui dubitat, ipse in causa est: quæritur an sua, vel aliorum culpa in dubio hæreat? Si alii dubitandi occasionem dederunt: culpam non tamen evitare potest. Sin iterum ipse: merito suæ stultitiæ luat pœnas. Ratio deinde excusandi se per oblivionem legis, adeo est levis, ut ne liberi quidem, quum non dum pleno rationis gaudent utu, a parentibus excusentur, si oblivionem mandatorum obtenderint, sed eo graviores potius negligentia pœnas dent. Multo minus nos, quippe qui maturo sumus judicio præditi, coram tribunali justissimi Dei, oblivio legis a culpa & pœna peccatorum liberabit.

§. VII.

Offenditur ulterius Deus, licet homo, dum peccat, de pravitate actionis suæ non judicet. Deum enim ad iram pœnamque excitamus, quotiescunque & quomodocunque mandata Ejus transgredimur. Sed nemo non novit, quod non solum scientes, sed & inscii, præsertim si parum finis

adventi ad actiones nostras, ea migremus. Sequitur ergo hinc, quod etiam inscii & nolentes Deum offendamus. Quando vero iterum inscii peccatum aliquod committimus: de ejus turpitudine nihil judicare valemus. Unde patet hoc in negotio nihil ad rem Facere nostrum judicium. Præterea omnis actio ideo est bona vel mala, quia cum lege convenit vel non convenit: sed non ideo, quod nos eam bonam vel malam judicamus. Actio autem mala Deo per suam naturam displicet: ergo non excusantur homines, licet nullum de ea judicium tulerint. Ulterius si darentur actiones nonnullæ indifferentes, h. e. tales, quæ in lege nec mandata, nec prohibita forent: possent quædam contra voluntatem commissæ stare cum amicitia Dei. Quum vero etiam minimæ a lege determinatæ sint actiones: offendunt Deum sine exceptione omnes quotquot contra legem fiunt.

§. VIII.

Quamvis bonum finem cogitando cum mala actione jungamus, vel intentionem bene dirigere noverimus: offensionem tamen Dei non effugiemus. Nam quidquid vere bonum est & Deo placet: id tam ratione formæ quam materiæ, ut in scholis loquuntur, bonum oportet sit. Ab adversariis vero supponitur actio in se quidem mala, quamvis bono animo ab agente sit suscepta; quæ nihil

nihil minus est, quam omni ex parte bona, & consequenter Deo, utpote Enti perfectissimo, non placeat. Si hoc valeret, esset aliquod malum, quod Deo non displiceret. Sed quum sanctitas Ejus, ne minimum quidem terre possit: idcirco hoc purum purum est figmentum. Præter ea intentio hominis non lex divina redderet actionem bonam aut malam; adeo ut non ex lege, sed intentione nostra esset judicandum quid sit, vel non sit bonum. Sed quid hoc absurdus cogitari potest?

§. IX.

Non igitur dari peccatum Philosophicum ex dictis patere existimamus. Ostendimus enim iam in antecedentibus, non dari Atheos, quorum ignorantia sit invincibilis & peccata excusabilia. Peccatum contra rectam rationem & legem naturæ esse etiam prævaricationem in Deum. Et quamvis sub actu peccandi non cogitemus de Deo, legemque ignoremus, vel etiam de actionum nostrarum malitia nihil judicemus, sed bonam cum iis intentionem habeamus: nihilo tamen secius graviter peccemus. Jesuitæ vero quandoquidem hæc omnia peccatum philosophicum absolvere dicunt: manifestum est, quod non detur tale peccatum. Sed ut adlatis adhuc addamus aliquid: contradictionem quoque involvit, statuere dari peccatum, quod non sit contra Deum. Quamprimum enim idea peccati in
men-

mente nostra oritur: non potest etiam non simul oriri in ea legis divinæ neglectæ idea. Neglectio autem sive transgressio legis indissolubili nexu secum habet offensionem Dei; quam nunquam non sequitur pœna & temporalis & æterna. Sed ubi non est transgressio legis, ibi nullum peccatum. Atque philosophicum tale est: ergo nullum potius est peccatum, quam philosophicum, sensu, quo a Jesuitis accipitur.

§. X.

Perniciosissima denique est doctrina de peccato philosophico & magnæ impietatis mater. Namque ejus esse fingitur indolis peccatum hoc, ut, si modo ignoret homo Deum, vel in actu peccandi non cogitet de illo, vel si non sit animus agendi contra illum legemque Ejus: non peccet. Vel si sit peccatum & mereatur pœnam: sit solum modo veniale & in hac vita pœnis afficiendum. Ex his ratiociniis, quid aliud sequitur, quam securitas summa. Quum facile tales in mentem hominis irreperere possint cogitationes. Ego nihil mali sciens & cum intentione commisi, quo Deum ad iram commoverim: ergo non est mihi timendum a gehenna; verum potius præmium a Deo bene actæ vitæ expectandum. Quare non solum perseverandum in hac simulata vitæ sanctitate censet: sed & ei quam maxime esse operam dandum. Unde iterum recur-

descit

descit sanctitas Pharisæica, quæ non solum creditur totam legem impleri posse: sed etiam plura præstari, quam postulat. Thesi hac flante, portæ & januæ aperientur vitiis atrocissimis. Nam latrocinia, furta, rapinæ, adulteria & similia, pœnam non merentur nec offendant Deum, si modo peccator non cogitet de Eo, vel si affectu vehementiori quodam fuerit abreptus, aut alia quæcunque præsto fuerit causa. Unde sequitur ut fors Atheorum & maxime impiorum sit beatissima, immo ut illi ipsi tanto minus sint obnoxii damnationis periculo, quanto magis sunt impii, ac in maxima & continua Dei oblivione vitam transigunt. Quomodo denique doctrina hæc consistere possit cum disciplina morum in sana ratione fundata, cum justitia & sanctitate divina & felicitate hominis omni ratione promovenda: id nos percipere non posse lubentes confitemur. Ex his itaque, quæ pro modulo ingenii & facultatum habita ratione paucis adduximus, abunde patere existimamus, quam nullo nitatur fundamento, quamque periculosum & perniciosum sit dogma hoc Jesuitarum.

S. D. G.



FRATRI GERMANO.

UT omnibus aliis: ita huic Tuo conatui honestissimo fausta quaevis adprecatur

Michaël Lindstéen.

